

Q.K.
3854

(X1883863)

II m
1284

CASPARIS SAGITTARII
HISTOR. PROF. P. ORD.
ORATIO

DE

VTILITATE EX
HISTORIA GERMANICA
CAPIENDA

HABITA IN PANEGYRI INAUGVRALI
VII. JANVAR. AN. CLO IDC LXXV.

J E N A.

TYPIS GOLLNERIANIS.



CASPARUS SACHTTARH

OPUS

VITAE


ET

HABITATIONIS

IN GOLDBACH

1711





MAGNIFICE DOMINE
RECTOR

MAGNIFICE DOMINE
RECTOR DESIGNATE
VENERANDI PATRES

ACADEMIÆ
HONORATISSIMI HOSPITES
PATRONI FACTORES ET AMICI DEBI-
TO OBSERVANTIÆ OBSEQVII AMO-
RIS CVLTV ÆTATEM PROSE-
QVENDI.

TVQVE FLORENTISSIMA LECTISSI-
MORVM STUDIO SVRVM CORONA.



Onus nunc agitur mensis,
quod Inclytæ huic Academiæ
juxta ac universo orbi erudito
obitu præmaturo creptus cœ-
lesti Academiæ illatus sit JO-
HANNES ANDREAS BOSI-
VS, Histor. Professor Publicus.
Quanta Vir doctrina, quam
multijuga, quam exquisita,
quam admirabili, fuerit, partim
loqvuntur scripta, si raram styli elegantiam inspectes, me-
rum

rum Nectar & Ambrosiam spirantia: si selectissimarum rerum pondera trutines, nonnisi solum BOSIVM, hoc est, Incomparabilis viri exemplar referentia: partim diffusum testatur literarium cum principibus in omni-gena eruditione per Europam Viris commercium; partim denique commune quorumvis doctorum iudicium locupletissime affirmat. Dicerem plura in tanti fugientium literarum Statoris laudem, nisi declinanda foret, quæ in aliquorum mentibus suboriri posset suspicio, quasi esset animus in ipso Antecessoris præconio gloriam quærere, eoque, per ambages licet, ostendere, me illum ipsum esse, qui suo merito in Illustris Viri locum succedens lampada ab eodem acceptam cum singulari nominis splendore insigniter vibrare constituerit. At vero quam longe absim ab hac sententia, novit is qui omnia: ac ejusmodi persuasionis mentem meam nequaquam esse consciam, sanctissime asseverare audeo. Equidem quis fuerim, quis sim, & quanto intervallo a BOSII, & qui ad illum propius accedunt, ingenio, iudicio, scientia, qualiscunque industria mea disjungatur, apprime novi, nec unquam ista temeritas præcordia mea occupaverit, qui cereis alis, hoc est, parvæ doctrinæ adjumentis, ad fulgidissimum Solem (excellas BOSII, & similes BOSIO mentes intelligo) instar alicujus Icarum subvolare præsumsero.

Quandoquidem tamen, cum de novo Historiarum Professore consilia agerentur, SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM MVNIFICENTISSIMORVM ACADEMIÆ NVTRITORVM clementissima voluntas in parvitate mea acquievit; uti primum divinam in eo providentiam devotus admiror, ita deinceps ingentem Ducalem gratiam venerabundus exosculor.

Primas jure merito providis Numinis æterni consiliis regiminique tribuo. Id jubet pietas; id postulat religio; id flagitat Christiani hominis officium. Scilicet nunc demum video, quod sæpius me suspensum habuit

buit, cur DEVS OPT. MAX. studiorum meorum supremus moderator, me Luneburgum patriam deserre, ac Salfeldium commigrare; cur gravissimis ibidem curis exercitum in hanc florentissimam Salanam tanquam in asylum secedere; & tam in aulis Saxonis, quam in ipsa Academia magnos Mæcenates & Patronos indulgere; ac honorificam demum, quamvis indigno, Spartam committere voluerit.

Brevi sermone prolixum divinæ in rebus providentiæ circumscribo ambitum: sed dum consideratius pervolvo singula & attentius, ad tantam traducor admirationem, ut frequentissime necessum habeam cum Jacobo Patriarcha exclamare: Domine, Domine, inferior sum omni beneficentia, omnique fide, quam servo tuo exhibuisti. Dignas Tibi agerem grates, o benignissime Deus! pro his & infinitis benefactis aliis, modo liceret. Nunc autem quia per summam infirmitatem id nequaquam mihi integrum, tu saltim tantum facultatis tribue, quo per omnem vitam pectori meo inhaereat gratisima admirandæ providentiæ tuæ recordatio. O mi Deus! quæso Te per JESVM CHRISTVM, Filium tuum unigenitum, rege me SANCTO Tuo SPIRITU, ut in viis tuis ambulem. Te ante omnia, ac porro ut me ipse proximum meum diligam, Spartæque intentus demandatæ, nihil temere intermittam, quæ ad illam excolendam & Studiosam Juventutem fideliter ac sincere erudiendam requirentur.

A Divino Numine ad terrestres me converto Deos, SERENISSIMOS CELSISSIMOSQUE SAXONIÆ DVCEs, lisdemque devotissimas offero grates, quod clementissimam adversus humilimum ministrum suum gratiam declaraturi, munus mihi professorum quantumvis immerenti demandare gratiose constituerint. Servet Vos Deus, SERENISSIMI PRINCEPES, omnibusque animi, corporis & fortunæ opibus magis magisque cumulet: ut provin-

ciæ vestræ, & in his Salana Academia sub fortissima tutela ac incomparabili patrocínio Vestro vireat, vigeat, floreat, suumque jubar splendore nunquam interrupto per orbem universum porro diffundat.

Præterea VENERANDO PATRVM ACADEMICORVM COLLEGIO, speciatim vero AMPLISSIMÆ FACULTATI PHILOSOPHICÆ, pro multis magnisque a primo in hanc Academiam adventu in præsentem diem præstitis officiis beneficiisque (quorum sane luculentissimum nuper erat solennis ac gratiosa in Collegium Academicum receptio tot amicissimis gratulationibus obsignata) ex intimo pectoris recessu religiosas ac observantes ago habeoque gratias. Simul etiam obnixe rogo atque obsecro, velint CONSCRIPTI PATRES geminum animum semper erga me servare, ac magnifica sua auctoritate, prudentissimisque consiliis, siue fors benignior affulerit, siue arctæ res impenderint, benigne mihi adesse. Ego autem, quamdiu vita erit, intemeratam observantiam, jugem cultum, debitum honorem, constantem amorem, tum toti Collegio, tum singulis uniuscujusque Facultatis Professoribus comprobare non desinam.

Et hæc quidem ante publicum docendi munus quam aggrederer, in solenni hac Panegyri, verbis quidem brevibus, at affectu eo prolixiori præmittenda esse duxi. Nunc quando recepti moris est, ut lectionum publicarum exordium ab oratione quadam auspicali sumere soleant novitii Professores, mearum quoque duxi partium hoc instituti observare, eaque fini de Utilitate ex Historia Germanica capienda in medium nonnulla afferam. Vos autem, quotquot adestis, omnium Ordinum Viri Splendidissimi, Vosque genere, virtutibus, doctrina ornatissimi Juvenes, ut benevole me dicentem audiatis, omni quo par est studio
atque

atque observantia oro: facturus id majorem in modum, nisi perspectus in me amor vester, & relucens ex singulorum vultu benevolentia certissime id sponderet.

L.Casium antiquæ virtutis & severitatis apud veteres Romanos virum semper in ore habuisse memorant, **CVI BONO**? Quo ipso inter cetera videtur significasse, in omnibus negociis, dictis atque factis præcipue spectandum esse finem: qui si bonus fuerit, proficius ac salutaris, in coeptis omnino persistendum, eaque perficienda: sin minus, in tempore desinendum, ne opera atque oleo frustra consumtis haut mediocri afficiamur damno, aliorumque sannis & ludibriis exponamur.

Quidni & in scrutanda ac addiscenda Historiarum Germanicarum serie Casianum illud **CVI BONO** ingeminemus? Cur non de illarum utilitate, donec harum cognitioni nos intimius immiserimus, sollicitos nos habeat studiorum nostrorum ratio? Cur non investigemus, quæ res, quæ spes, quæ sit expectatio, prius in rimandis Germanorum nostrorum gestis quam curatius occupari apud animum constituerimus?

Ceterum quia commune omnium Eruditorum est iudicium (cui sane refragari turpe, imo emotæ mentis indicium foret) publicæ utilitatis magnopere interesse, ut conservetur ac vigeat eorum, quæ in Ecclesia ac civili regimine acciderunt memoria; non minus profecto id in Germanica, quam omnium aliarum gentium historia locum habet: nisi quis affirmare audeat, aut nihil apud Germanos gestum æternis inscribi fastis dignum; aut Romanas & Græcas nostræ gentis historias pondere ac dignitate sua multum superare: quorum alterum uti plane est absurdum; ita postremum longe se habere aliter, certissime persuasus sum.

Quod si vero summatim de Historici studii utilitate quæras, tam varia, multiplex est illa atque copiosa, quam nec disertissimi Romuli nepotum Tullii, nec alterius

rius

rius præstantissimi Oratoris amplissima dicendi facultas satis explicuerit. In primis tamen manifestus ejus apparet usus in morali disciplina ac civili prudentia: dum exempla virtutum & vitiorum, ac illa, quidem ut sectemur, hæc ut fugiamus, ob oculos ponit: dum non probos solum ad virtutem mirifice inflammat, sed improbas quoque mentes infamiae formidine a sceleribus deterret: dum in cunctis rebus dubiis ac difficilibus, si-ve privatam unius hominis vitam; si-ve plurium in aliqua civili societate fortunam; si-ve totius Reipublicæ salutem spectemus, saluberrima consilia suppeditat.

Vt igitur propius virtutum quarundam exempla in Germanica historia contemplemur, age faciamus a divino cultu & sincera pietate initium: non, ac si hanc virtutem Theologicam in reliquarum moralium sortem velimus demittere; sed quod mea sic ferat, quam verissimam opinor, sententia, reliquarum omnium culturam, aut nullam, aut exiguam, aut fallacem esse, nisi huic fundamento firmiter innitatur, ac hoc quasi indissolubili vinculo arctius constringatur. Ex eo haut difficulter conjicere est, quid in hoc genere ab Historia Germanica præ Græcis & Romanis veteribus sit expectandum. Nonne in illorum historiis, a prima harum gentium notitia ad usque quartum a nato Salvatore seculum (historiam nascentis Christianismi Ecclesiasticam excipio) in publico æque ac privato religioso cultu, extremæ omnia impietatis, nefandæ idololatriæ, ac diabolicæ superstitionis plena sunt? Nonne non Poetæ modo (quibus forte talia audendi majorem potestatem fuisse dixeris) verum etiam gravissimorum Historicorum nonnulli Deorum suorum jurgia, stupra, adulteria, raptus, cædes commemorant? Nonne in intimis gentilium sacris præter spurcissimas libidines, ac nefanda alia, aras humano sanguine resperfas intuemur? At e contrario si Germanicas historias ab illo tempore, quo sanctum ac salutare Christianæ religionis lumen per patriam

triam

triam nostram effulsit, plurima genuinae pietatis, recti legitimique cultus divini, ac incontaminatae probitatis exempla licet intueri. Inde originem trahit illustre illud pietatis certamen in omnium ordinum hominibus: nemine se satis felicem & pium existimante, nisi in pauperes, in scholarum, templorum, monasteriorum magnificas substructiones, & in alios religiosos usus insignem patrimonii partem attereret, aut etiam cederet totum. Et quamvis per papales superstitiones multa iterum labefactari ac perverti coeperint, servavit tamen Deus etiam in media caligine non contemnendas lucis suae stricturas; multique sunt reperti, qui nec bestiam adoravere, nec signum animalis in fronte accipere; sed summo potius studio, manu, calamo, voce, meretrici Babylonicae adversati sunt.

Si Confessores, si Martyres longo censu enumerat primitiva Ecclesia, nec illi prorsus defuere Germaniae, & praeter plures alios, Bonifacium (nam et si Anglus natione, Germanus tamen diuturna conversatione ac illustri fuit munere) cum sociis Adelario & Eobano a Frisiis, Brunonem a Prusis, Johannem Episcopum Meclenburgensem a Slavis truculenta morte enecatos, sed constantiam Christianam in iplo agone spirantes enumerare licuerit. A restituta autem per Martinum Lutherum, hominem ceteroquin nulla natalium aut fortunae viribus subnixum, sed zelo divino & causae bonitate armatum, redintegrata doctrina Evangelica, plurimis Germania inclaruit Confessoribus, & quod magis mireris, illustri stirpe satis. In his sane adeo Constante Patre Johanne dignissimus gnatus JOHANNES FRIDERICVS, Serenissimus Saxoniae Elector, conditorne dicam hujus Academiae, an condendae auctor, tanta fuit ac tam stupenda pietate, ut ab Evangelii professione, nec ira Caroli V. Caesaris, nec denuntiata decretoria sententia, nec Electoralis dignitatis abrogatio, nec potissimarum provinciarum jactura, nec diuturnior captivitas,

B

ipsum



ipsum revocare, & admirabilem illam constantiam vel tantillum labefactare potuerit. Et quid de eo dicam, quod Germania nostra etiam in Ecclesiastica cathedra viderit Celsissimis familiis oriundos Principes, pietissimis sermonibus suis ad veram fidem & studium illibatae vitae populum erudientes?

A pietate ad justitiam si pedem proferimus, hic profecto Graecia Aristidem suum miris crepans modis exquisitis laudibus ad coelum contendit evehere. Verum enim vero si singulorum Germaniae Regum, praecipue Henrici Aucupis, Ottonis Magni, Frederici Barbarossae historias pervolvimus, tot egregia exercitae justitiae occurrunt exempla, quae Aristideam, aliorumque paganorum justitiam longis post se relinquent parasangis. Ne autem solos hac virtute excelluisse putemus Caesares, ecce ex magno multorum Principum ordine sisto Jacobum Badensem Marchionem, sollicitum publicae tranquillitatis custodem; qui, ubi in ditione sua latrocinium commissum esse didicisset, iis quibus damnum fuerat illatum, tantum ex fisco reddebat, quanti jurejurando illud aestimavissent. Nec tacere possum Henricum Misniae Marchionem, cujus tanta in exercenda justitia erat sollicitudo, ut in eos qui provinciam latrociniiis divexarent, sive infimo, sive nobili essent genere, severissime animadverteret. Eodem erat animo Henricus Dux Lüneburgensis, qui nec Cellenensis arcis praefecto togam modo hirsutam invito agricolae adimenti pepercit.

Et quousque Arcopagiticum judicium civitas Attica jaetabit, & illud affectuum in eodem exilium? Nobisne septem illae civitates Graeciae non desinent objicere Amphictyones suos, judices rerum peritos, judicando accuratos? Desinant profecto: si vel ad vetera Germanorum Regum cum Principibus instituta judicia se convertent; aut ad Germaniae nostrae Spirensis cameram a Maximiliano Caesare statutum communis patriae oraculum

culum; aut Principum hinc inde curias ornatisimas: ubi Justitia & Sapientia sedes sibi suas jampridem delegerunt.

Atqui Miltiadem, Themistoclem, Alcibiadem, Iphicratem, Epaminondam, virtute bellica summe excellentes nobis sistet Græcia: Romaque jactabit suos Manlios, Fabios, Papyrios, Scipiones, Sullas, Marios. Non invidemus istos Græciæ, non Latio. At sciat Græcia, noverint Romani, habere nos Ludovicos, Ottones, Henricos, Fridericos, Rudolphos, Maximilianos, Carolos, qui sua virtute ac bellica felicitate non illorum modo, sed ipsius Magni Alexandri ac Julii Cæsaris facta si non obscuraturi, certe æquaturi sint. Quinimo nulla Germanorum Principum domus est, quæ non unum atque alterum incredibili virtute eminentem Heroa bellicum commonstratura sit. Quid una Misniæ Marchionum ac Saxoniarum Ducum familia hac in parte præstiterit, loquuntur Friderici Fortis, Friderici Bellicosi, Alberti Animosi, ac præsentis seculo Bernhardi Magni gesta immortali gloria æternoque præconio dignissima.

Apud prudentissimum ac integerrimum historiæ Romanæ scriptorem Corn. Tacitum jam olim Frisiorum legati Germanis id tribuunt elogi, eos nullis mortalium armis, aut fide inferiores esse. Pervolvite jam, Comilitones, annales nostræ gentis: in horum singulis tam illustria virtutis & fidei documenta deprehenditis, ut hoc effatum sive Frisiorum, sive ipsius Taciti, non isti tantum ævo, sed cunctis quæ secuta seculis optime quadrare dixeritis. Germana fides jam pridem in proverbium abiit, cujus veritas non nisi ex historiis confirmari poterit. Fridericum III. ob insignem quæ suis prælucebat fidem, nunquam jurasse compertum est: nisi cum in civitate Aquensi diademate Germanico, & Romæ imperatorio coronaretur. In comitiis superioris seculi Wormatiensibus cum nonnulli conclama-

rent Luthero tanquam hæretico nequaquam servan-
dam esse fidem, huic sententiæ Ludovicus Palatinus ve-
hementer obstitit: quod ad Germanici nominis labem
atque sempiternum dedecus res ea pertineret.

In Germanorum ebrietate nescio quomodo sibi
placeant scriptores Itali ac Galli: ceterum si legissent hi-
storias nostræ gentis, deprehendissent inter Magnates
quoque, quorum frugalitas & abstinentia ab omni po-
steritate mereretur commendari.

Quod Severus Cæsar Oppiano pro singulis poc-
matis versibus singulos aureos numerari iussit, raris
liberalitatis exemplis computatur. Sed profecto non
tacenda Germanorum Principum magnificentia, qui
in fundandis dotandisque Academiis & Scholis illustri-
bus, in luculentis studiosæ juventutis stipendiis, in am-
plissimis Bibliothecis erigendis, in sumptibus ad editio-
nem librorum utilissimorum conferendis regales pro-
pe gazas contulere.

Non permittit temporis ratio per reliquas nunc
ire virtutes: suffecerit tribus verbis indicasse, harum
nullam esse, cujus non plurima & vere illustria exem-
pla reperiantur in historia Germanica: quibus quocun-
que quis in vitæ vivat genere, & ad sui, & ad aliorum
uti frui queat commodum.

Exactam veteris ac recentis historiæ notitiam ad
prudentiam instituendæ regendæque Reipubl. requiri,
eximiorum civilis doctrinæ doctorum unanimis testa-
tur consensus. Vnico nunc contenti erimus testimo-
nio Philippi Melanchthonis, Viri cujus ingenium ma-
gnum atque ad omnia comparatum ipse Julius Cæsar
Scaliger miratus est. Ita autem communis Præceptor
Germaniæ, Sermone de corrigendis adolescentiæ studi-
is: Necessaria omnino est historia cui si ausim, meher-
cle non invitus uni contulero, quidquid emeretur lau-
dum universus artium orbis.

Hæc

Hæc quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile
quid non,
Plenius ac melius Chryfippo & Crantore
dicit.

Hæc nulla vitæ pars, neque publica, neque privata va-
care potest. Huic administratio rerum urbanarum do-
mesticarumque plurimum debet. Ac nescio annon mi-
nore incommodo mundus hic noster Sole, animo vide-
licet suo, cariturus sit, quam historia civilium nego-
riorum ratio.

Jam extra dubitationis aleam positum, nullius
gentis, nullius provinciæ, urbis nullius historias ita
comparatas esse, quin aliqua ex his utilitas ad civilem
redunder prudentiam. Interea qui Germanicarum Re-
rum publicarum uni operam suam aliquando addicere
in animo habet, a janua certe aberraverit longius, si ne-
glecto historiæ Germanicæ studio, in alienis tantum oc-
cupabitur. Haut ulla regiminis forma, nullus ferme
judiciorum per universam Germaniam habitus est, qui
non aliquid trahat ab antiquo Germaniæ a Carolingicis
temporibus repetito statu, privilegiis, commodis, in-
commodisve. In his nisi vetera a novis, fundamenta
ab his, quæ iisdem superstruata, probe discernantur,
atque ipsarum quoque Rerum publicarum leges, in-
stituta mores, inter se invicem distinguantur, in procli-
vi fuerit gravissimis obnoxios reddi erroribus.

Præterea in numerato habere illustrium familia-
rum per Germaniam origines, incrementa, fortunam
variâ, conjunctiones, foedera, successiones, ac non-
nullarum quoque interitus, tantum præstat usum, ut
absque horum cognitione accuratiori nemo sibi polli-
ceri audeat, se aliquid operæ pretii in ministerio Princi-
pum unquam perfecturum.

Vnde autem hæc talia hauserimus magis, quam
ex historiâ Germanicarum penu? quis in harum

notitiam nos felicius deducet, quam Annalium & Chroni-
corum tum vetustiores, tum recentiores scriptores?
Quo ipso tamen minime excludo ipsorum tabula-
riorum, sive, ut vocare solent, Archivi, inspectionem:
quamvis paucis, præcipue extra publicam manus con-
stitutis ea obtingat felicitas, qui ad hæc arcana ipsis de-
tur aditus.

Ne igitur nostræ Reipublicæ, ut alienæ, turpissima
nos vexet ignoratio, in tempore patriæ historis finiti-
marumque provinciarum cognoscendis diligentem
impendendam cenleo operam, certissimeque spondeo
cum immenso id conjunctum iri fructu, ac utilitate in-
credibili.

Quæ vero alias traduntur in Politicis de variis
Majestatis juribus, de causis conservantibus ac corrup-
pentibus uniuscujusque Reipublicæ speciem, de Re-
rum arcanis, & quæ in universum ad procurandam
salutem publicam & præcavenda noxia sunt futura usui,
aut ego vehementer fallor, aut talium omnium exem-
pla suppeditabit Historia Germanica. Nimirum & in
his tanquam lucidissimo quodam speculo licebit intu-
ri, quemadmodum cum Regibus & Principibus, quem-
admodum item cum subditis, cum civibus, cum exter-
nis agendum, qua arte bella civilia aut prudenter præ-
caveri, aut si in flammam eruperint, feliciter sedari
queant.

Nemo tamen, Auditores Optimi, hæc eo dicta exi-
stimet, ac si solis civilis doctrinæ Studiosis commen-
dem historiarum Teutonicarum studium, & ad Theolo-
giæ quoque cultores qui redundet fructus nullus pla-
ne sit, aut certe exiguus. Contrarium profecto multis
ostendere liceret argumentis: attamen ne longiori ser-
mone splendidæ Auditorum coronæ nimis sim mole-
stes, unicum modo affectam ab exemplorum in sacris
adhibendorum pondere petitum. Quod exempla in
divi-

divinarum Scripturarum volumine consignata ad vitam pie ac Christiane degendam, ad revocandum a sceleribus animum, præ aliis omnibus singularem habeant efficaciam, confessæ inter Christianos veritatis est. Neque tamen propterea penitus excluduntur exempla alia, præsertim domestica, quæ eo sæpe vim majorem habent, quo propius accedunt ad ætatem nostram, vel Ecclesiam, qua in docemus, attingunt. Quidni igitur commoveantur mentes, si ex historia Germanica commo- modo tempore recenscas, per justum Dei adversus peccatorum molem judicium, urbes quasdam elatas paulo ante, & opibus & incolarum frequentia nobilitas, horribili terræ motu corruisse, quasdam aquarum illuviem obruisse, nonnullas incendio conflagrasse, aliquas dehiscentem tellurem absumpsisse, plurimas diutina obsidione, aut hostili expugnatione exhaustas concidisse? Quidni ad pietatem probitatemque accenderentur animi, si Deum Optimum Maximum vitam singulorum hominum pie ac honeste actam, aut totius quoque corporis civilis in procuranda religione vera, in juventute ad virtutem educanda, in legitime dicendo administrandoque jure, in alendis egenis studium ac fervorem plurimis compensasse beneficis, ostenderimus?

Possem denique Medicorum filiis commonstrare commoda singularia, quæ si & ipsi historiis Germanicis aliquam dederint operam, sibi polliceri queant. Ut enim taceam plurimos arte medica insigniter præstantes Viros, quibus multa debet Historia Germanica, non raro asserunt historici difficultium morborum in Principibus præcipue Viris, curationes rariores, monstrorum etiam aliorumque, tam ad philosophiam naturalem, quam medicinam ipsam pertinentium descriptiones. Quin & ex iisdem haut frequenter elucet, quantis cum periculis, incommodis, damnis, Judæorum, agyrrarum, vetularum medela fuerit conjuncta. Succurrit in præ-

sent

Joachimus II. Marchio ac Elector Brandenburgensis, quem scelus Lippoldi Judæi venenum cum Malvatico vino porrigentis sustulit: cum paulo ante a periculosa medela frater dehortatus esset Principem. Neque tamen impune stetit furcifero: siquidem indicio vocis ab uxore cum marito litigante imprudenter emissæ proditus, ignitis forcipibus jussu Johannis Georgii Electoris Joachimo geniti discerptus est. Sed religio mihi fuerit diutius detinere Auditores. Quamobrem etiam quæ de summa historiarum Germanicarum utilitati juncta jucunditate, quæ in * Laurentio Medico tantum valuit, quantum in Alphonso Castiliæ & Siciliæ Rege Liviana, in Ferdinando, eorundem regnorum Domino Curtiano lectio, in medium afferre licuisset taceo, & ad finem hujus sermonis propero.

* Voluptatis istius, quam ex Historicis capere est, illustre exemplum habemus in sapientissimo Arragontæ rege Alphonso. Alphonsus, Castilia & Sicilia rex, lectione Liviana dicitur restitutus valetudini medicorum jūdicio deploratæ: & Ferdinandus eorum regnorum Dominus fontico dicitur morbo liberatus lectione Curti, & Laurentius Medicus valetudinem absque medicamentorum ope dicitur recuperasse acroamate suavis historiæ olei unius de Conrado III. Imp. qui cum tandem precibus nobilium feminarum hoc dedisset, ut ipsis ex urbe liceret abire inviolatis, & secum exportare, quantum humeris possent: pulcherrimo dolo ludificatæ sunt Imperatorem exportando maritos suos; quos inter erat Gvelfus Barariæ Dux infestissimus hostis Imperatoris: tantumque abest ut propterea revocaret promissum Imperator, ut præ gaudio lacrymas non tenuerit, oppido quod delere statuerat, pepercerit; & cum hoste infensissimo sit reconciliatus. Qui cum gravissimo morbo laboraret, multa que in casuum medici remedia adhiberent, Curtij de Alexandro historiam Panormi legere cepit, eaque tantopere delectatus fuit, ut valetudini restitutus dixisse dicatur, Valeant Avicenna, Hippocrates, medicæ ceteri: vivat Curtius, sospitator meus. Gerardus Johannes Vosius de Arte Historica cap. V. Nimi-
phonsi.

Nimirum ad Vos me converto, MAGNIFICE
DOMINE RECTOR, MAGNIFICE DO-
MINE DESIGNATE RECTOR, PATRES
ACADEMIÆ CONSCRIPTI, AC VENE-
RANDI EXCELLENTISSIMIQUE HO-
SPITES CETERI, devoto repetens animo, quanto
me affeceritis beneficio, quod misis gravioribus occu-
pationibus. hanc horam honori meo dedicare non de-
dignati fueritis. Gratia vobis debentur: sed verba non
reperio, quæ magnitudini vestrae, quæ meo responde-
ant debito. Quod igitur mea tenuitatis est, iterum ac sæ-
pius gratias ago, quam possum, maximas: attamen
sentiendo copiosius, quam loquendo. Quam vellem
quoque hoc ineunte anno strenam intemerati affectus
testem Vobis consecrare. Nihil tamen dignum Vobis,
quod dare possim invenio: & hoc modo pauperem me
esse sentio. Itaque dono quod unum habeo, me
ipsum. Hoc munus rogo qualecunque est, boni con-
sularis, ac simul ponderetis, alios cum multum darent,
plus sibi reliquisse.

Sed & Vobis me obstrictum fateor, genere, virtute
ac literis florentissimi Domini Studiosi, quod tam be-
nevole, tam constanter sermonem meum excipere vo-
lueritis. Cum alia quibus me solvam non suppetant,
ecce indefesum meum Vobis inserviendi studium in-
star alicujus strenæ offero: quod quidem tan-
quam testem voluntatis, pignus debiti,
amoris depositum, minime de-
betis aspernari.

E I N I S.

C

GEOR.



GEORGII CRAVSERI
SUPERINTENDENTIS EISEN-
BERGENSIS

προσφωνησις
ad

CASPAREM SAGIT-
TARIVM

HISTORIARVM PROFESSOREM
PUBL. ORD.



Octe Sagittari, Jenensis Ocelle
Lycei,
fulgida Fax Critices, Historiæq;
decus,
Post varios casus, post tot discrimi-
na rerum,
tot post angores ancipitesque
metus,

Dum pedibus firmis Anabathra Academica scandis,
digna Tuis curis & Tibi Sparta datur,

Orchestra applaudit Musarum tota palæstra
en! votis resonat, júbila multa sonant:

Namque simplices cupidae spem pubis, nubis ad instar
quæ Tua castrametetur, lucraque mille feret.

His calidis socio votis mea fervida vota,
votis applausus lætificasque preces.

Qui dedit hoc munus celebre augustumque Jehova,
enthea multiplici munere corda beet!


Roboret ingenii vires & corporis, orsa
clara ut perficias Numinis arbitrio,

Dorsaque ferre queant Celsi quæritè Dynastæ

imponunt Tibi quos JESVLVS æqvus amet!

Te du-

Te duce florebit rola ceu Pæstana juvenus
 percupidè penetrans Historices adyta :
 Philologia jugis Pindi caput exeret altum,
 & Criticæ socias junget amoena manus,
 Artes quæ cunctas clarabit biga sororum,
 quâ demptâ tenebris plurima pressa latent.
 Pacem sed Dominus concedat in axe diebus
 nostris, et Musas mulceat almaquies.
 Marspiter exul eat studiorum pestifer osor,
 Thulenque infestet Sauromatasque truces,
 Mille cruces figunt qui sancto nomini J E S U,
 & qui de dulci hóc nomine nomen habent.
 Gallus Teutoniæ cujus næ lilia sordent,
 namque velut fundit dira aconita bufo,
 Armis mitescat positis, Germanidos oras
 relinquat, nostris det Ducibusque manus,
 Sic Sophies mediis florescet in orbe pruinis,
 gloria Sionidum crescet & ipsa salus,
 Subscribat votis ferventibus ipse JESUS,
 qui Te carne, animâ sospitet: Euge vale.



M. CASPARVS SAGIT-
TARIVS, SACROSANCTÆ THEO-
LOGIÆ DOCTORANDUS, HISTORI-
ARVM IN ACADEMIA JENENSI
PROFESSOR PUBLICUS.
 per purum Anagramma.

I.
SUDAS HIC, PATRIÆ PROSIS CATE DO-
 CTOR, IN ORA;
SOMNIA PUNCTA FERAS O MISCENS UTI-
 LE DULCI:
 SORTE BONA AH VIREAS, SURGAS MAGIS
 undique felix!

C 2

II. JU-



Q4
1284

II.

JUVVENTA, FAC MOX CRESCAS IN HISTORIAE
SANA NOTITIA
PER DVCIS HVJVS SOLLERTIAM OB DONA E-
GREGIAM:
TRADAS PRORSUS; O PAX!

Evolutio.

*Ineluta, quam Salana sinu fovet alma, Juventa,
Fac crescas, ut mox hujus Ducis atque Magistri
Per celebrem, varia ac concessa à Numine summo
Ob dona egregiam planè sollertiam in omnis
Notitiâ Historiæ sanâ; Te prorsus Eidem
Tradas, aure bibens cunctos ac pectore prompto
Discursus: ô Pax vos aurea recreet ambos
Discentes pariter summa cum laude Docente!*

Ita ominatur
de Clariss. Sparta Excellent. Dn. Affini
& Fautori $\psi\omega\chi\acute{o}\theta\epsilon\nu$ gratul.
M. Jacob Cress / Ecclesiæ
Rodanæ Diaconus.



nc

1012

rum Ne
rerum p
est, Inco
diffusun
gena eru
tim den
locuplet
tium lito
quæ in
quasi est
riolam c
me illud
cum suc
gulari n
rit.
novit is
tem mea
severare
quanto
dunt, in
stria me
temerita
hoc est,
Solem(e
go) inst
Qu
rum Pro
MOR
FICEN
TRIT
mea acq
am devo
gratiam
Prit
filiis reg
ligio ; id
nunc de

sfimarum
sivm, hoc
: partim
in omni
cium; par
judicium
nti fugien
nda foret,
suspicio,
onio glo
ostendere,
is Viri lo
cum fin
constitue
sententia,
onis men
sime as
is sim, &
pius acce
que indu
quam ista
ereis alis,
dissimum
res intelli
o.
Historia
NISSI
M VNI
IÆ NV
parvitate
oventi
Ducalem
erni con
poscit re
Sc. licet
nsun ha
buit

